

» Nemo nec si unius diei fuerit vita ejus<sup>1</sup> : » hoc utique dicit : Curam hominis brevis vitæ fecisti venire in iudicium tuum. Quantumlibet enim brevis fuerit vita ejus, etiamsi unius diei esset, mundus a sordibus esse non posset, et ideo justissime in iudicium tuum veniet. Illud vero quod ait : « Dinumerasti omnes necessitudines meas, » et nihil te latuit de peccatis meis : signasti peccata mea » in folliculo, et annotasti si quid invitus commisi : » nonne satis apparuit etiam illa peccata iuste imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis? Nam et hæc dicuntur quadam necessitate committi, cum omnia superanda sint amore et delectatione justitiæ. Potest etiam quod dixit : « Et annotasti si quid invitus commisi, » ad illam vocem videri pertinere, qua dictum est : « Non enim quod volo ago, sed quod odi hoc facio<sup>2</sup>. »

XVI. Quid quod ipse Dominus, qui ei perhibuerat testimonium, cum etiam Scriptura, hoc est, Dei Spiritus dixerit : « In omnibus quæ contigerunt ei, non eum » peccasse labiis suis ante Dominum<sup>3</sup>; » Postea tamen cum ei loqueretur, increpans locutus est, sicut ipse Job testis est dicens : « Quid adhuc ego iudicor monitus, et » increpationes Domini audiens<sup>4</sup>? » Nemo autem iuste increpatur, nisi in quo est aliquid quod increpatione sit dignum. Et ipsa increpatio qualis est, quæ ex Domini Christi persona intelligitur? Enumerat illi divina opera potestatis suæ sub hac sententia increpans, ut eum dicere appareat : Numquid potes hæc tanta quæ possum? Quo autem pertinet, nisi ut intelligat Job, (etiam hoc ei divinitus inspiratum, ut præsciret Christum ad passionem esse venturum,) intelligat ergo quam debet æquo

<sup>1</sup> Job. xiv, 1. 4. — <sup>2</sup> Rom. vii, 15. — <sup>3</sup> Job. i, 22. — <sup>4</sup> Id. xxxix, 33, juxta lxx.

animo tolerare quæ pertulit, si Christus in quo peccatum, cum propter nos homo factus esset, omnino nullum fuit, et in quo Deo tanta potentia est, nequaquam tamen passionis obedientiam recusavit? Quod puriore cordis intentione Job intelligens responsioni suæ addidit : « Auris » auditu audiebam te prius, et nunc ecce oculus meus » videt te : ideo vituperavi me ipsum, et distabui, et » æstimavi me ipsum terram et cinerem<sup>1</sup>. » Quare sibi ita in hoc tam magno intellectu displicuit? Neque enim opus Dei, quo erat homo, recte illi poterat displicere; cum etiam ipsi Deo dicatur : « Opera manuum tuarum » ne despexeris<sup>2</sup>. » Sed profecto secundum illam justitiam qua se noverat justum, se vituperavit atque distabuit, æstimavitque se terram et cinerem; mente conspiciens Christi justitiam, in cujus non tantum Divinitate, sed nec in anima nec in carne nullum potuit esse peccatum : secundum quam justitiam quæ ex Deo est, etiam Paulus apostolus illud suum quod secundum justitiam quæ ex lege est, fuit sine querela, non solum damna, verumetiam stercora existimavit<sup>3</sup>.

XVII. Non igitur præclarum illud testimonium Dei, quo laudatus est Job, contrarium est ei testimonio quo dictum est : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis » vivens<sup>4</sup> : » quia non id persuadet, prorsus in illo nihil fuisse, quod vel ab ipso veraciter, vel a Domino Deo recte reprehenderetur; quamvis jam justus, et verax Dei cultor, et ab omni opere malo se abstinens, non mendaciter diceretur. Hæc enim de illo verba sunt Dei : « Animo » advertisti in puerum meum Job? Non enim est illi homo » similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo<sup>5</sup>. » Primis verbis

<sup>1</sup> Job. xlii, 5. — <sup>2</sup> Psal. cxxxvii, 8. — <sup>3</sup> Philip. iii, 7. — <sup>4</sup> Psal. cxlii, 2. — <sup>5</sup> Job. i, 8.



ex hominum qui sunt in terra comparatione laudatur. Proinde omnibus qui tunc in terra justi esse potuerunt, excellebat. Non ergo ipse propterea nullum peccatum omnino habebat, quia in profectu justitiæ cæteros anteibat. Deinde adjungitur, « Sine querela, » de cujus vita nemo juste quereretur: « Justus, » qui tanta morum probitate profecerat, ut nullus ei esset æquandus: « Verus Dei » cultor, » quippe etiam suorum peccatorum verax humilisque confessor: « Abstinens se ab omni opere malo, » mirum si ab omni etiam verbo et cogitatu malo. Quantum quidem Job fuerit ignoramus: sed novimus justum, novimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum: novimus non propter peccata, sed propter ejus demonstrandam justitiam illa omnia fuisse perpessum. Verumtamen hæc verba quibus a Domino laudatur, possent etiam de illo dici, qui condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem; videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ: præsertim quia dicit: « Non quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago. Si autem quod » odi malum hoc facio, jam non ego operor illud, sed » quod habitat in me peccatum<sup>3</sup>. » Ecce et iste secundum interiorem hominem alienus est ab omni opere malo, quia illud non operatur ipse, sed quod in carne ejus habitat malum: et tamen cum illud ipsum quod condelectatur legi Dei, non habeat nisi ex gratia Dei, adhuc liberationis indigens clamat: « Miser ego homo, quis me » liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum<sup>1</sup>. »

XVIII. Sunt ergo in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam æquo animo toleran-

<sup>1</sup> Rom. vii, 15. — <sup>2</sup> Ibid. 24.

tes. Sed si verum est, imo quia verum est: « Si dixerimus » quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus<sup>4</sup>; » et, « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens<sup>2</sup>: » non sunt sine peccato; nec quisquam eorum tam arroganter insanit; ut non sibi pro suis qualibuscumque peccatis Dominica Oratione opus esse arbitretur.

XIX. Nam de Zacharia et Elizabeth, qui nobis sæpe in hujus quæstionis disputationibus objiciuntur, quid dicamus, nisi quod evidentè Scriptura testatur, eminenti justitia fuisse Zachariam in principibus sacerdotum ad offerenda Veteris Testamenti sacrificia pertinentium. Legimus autem in Epistola quæ ad Hebræos scribitur, quod testimonium in libro superiore jam posui, solum Christum esse principem sacerdotum, qui non haberet necessitatem, sicut illi qui sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primum offerre peccatis quotidie, deinde pro populi. « Talem enim decebat, inquit, habere nos principem sacerdotum, justum, sine malitia, » incontaminatum, separatum a peccatoribus, altiorem » a cælis factum, non habentem quotidianam necessitatem, sicut principes sacerdotum, primum pro suis » peccatis sacrificium offerre<sup>3</sup>. » In hoc sacerdotum numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, a quo iste ordo exorsus est, fuit, et quicumque alii in illo sacerdotio laudabiliter justequè vixerunt; qui tamen habebant necessitatem sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cujus venturi figuram gestabant, qui hanc necessitatem sacerdos incontaminabilis non haberet.

XX. Quid autem de Zacharia et Elizabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, cum in Christum nondum credidisset, pro-

<sup>1</sup> 1 Joan. 1, 8. — <sup>2</sup> Psal. cxvii, 2. — <sup>3</sup> Hebr. vii, 26.



fessus est? Dixit enim se « Secundum justitiam quæ in » lege est, fuisse sine querela: » hoc et de illis ita legitur: » Erant autem ambo justis ante Deum incedentes in om- » nibus mandatis, et justificationibus Domini sine que- » rela<sup>1</sup>. Quia ergo quidquid eis inerat justitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est, « Ante Deum. » Quod autem de Zacharia et ejus conjuge scriptum est, « In omnibus mandatis et justificationibus Domini: » hoc ille breviter dixit, « In lege. » Non enim alia lex illi, alia istis fuit ante Evangelium; sed una atque eadem, quam legimus per Moysen datam patribus eorum, secundum quam etiam sacerdos erat Zacharias et vice sua sacrificabat. Et tamen Apostolus, qui simili tunc justitia præditus fuit, sequitur, et dicit: « Quæ mihi lucra fuerunt, » hæc propter Christum damna esse duxi: verumtamen » et arbitror omnia damnum esse propter eminentem » scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem » omnia non solum detrimenta credidi, verum etiam ster- » cora existimavi esse, ut Christum lucrifaciam, et in- » veniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege » est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo, » justitiam in fide, ad cognoscendum eum et virtutem resurrectionis ejus, et communicationem passionis ejus, » conformatus morti ipsius, si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum. » Tantum ergo longe est, ut propter illa verba Zachariam et Elizabeth credamus sine ullo peccato perfectam habuisse justitiam, ut nec ipsum Apostolum ejusdem regulæ summitate arbitremur fuisse perfectum, non solum in illa legis justitia, quam similem istis habuit, quam inter damna et stercora deputat in comparatione eminentissimæ justitiæ, quæ in fide Christi est; verum etiam in ipso quoque Evangelio, ubi

<sup>1</sup> Philip. — 6 III, 6. — <sup>2</sup> Luc. I, — <sup>3</sup> Philip. III, 7.

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE, LIB. II. 353  
et tanti Apostolatus meruit principatum: quod dicere non audeam, nisi ei non credere nefas ducerem. Ubi etiam sequitur, et adjungit: « Non quia jam acceperim. » aut jam perfectus sim; sequor autem, si comprehendam, in quo et apprehensus sum in Christo Jesu<sup>1</sup>. Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extensus, secundum intentionem sequor, et palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu. » Ipse se confitetur nondum accepisse, nondum esse perfectum ea plenitudine justitiæ, quam adipisci dilexit in Christo; sed adhuc secundum intentionem sequi, et præterita obliviscentem in ea quæ ante sunt extendi: ut noverimus etiam ad ipsum pertinere illud quod ait: « Et si exterior homo noster » corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem<sup>2</sup>: » quamvis jam esset perfectus viator, etsi nondum erat ipsius itineris perfectione perventor. Denique tales vult secum in isto cursu comites rapere quibus continuo subjungit et dicit: « Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus; et si » quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit: » verumtamen, in quod pervenimus, in eo ambulemus<sup>3</sup>. » Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus et vitæ moribus geritur, ut possint esse perfecti justitiæ possessores, qui recto itinere fidei de die in diem in sua renovatione proficientes, jam perfecti facti sunt ejusdem justitiæ viatores.

XXI. Sic itaque omnes, quicumque in hac vita divinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate atque actibus justitiæ prædicati sunt, et quicumque tales vel post eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicati atque laudati, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes justis, omnes

<sup>1</sup> Philip. III, 12. — <sup>2</sup> I Cor. IV, 16. — <sup>3</sup> Philip. I, 15.



veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non justificari in conspectu Dei omnem viventem; ideo rogari, ne intret in iudicium cum servis suis; et non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse Orationem Dominicam necessariam, quam tradidit Discipulis suis.

XXII. At enim, Dominus ait: « Estote perfecti sicut » et Pater vester coelestis perfectus est: quod non praecipit, inquit, si sciret fieri non posse quod praecipit. » Non nunc quaeritur utrum fieri possit, si istam perfectionem ad hoc accipiunt, ut sine ullo sit quisque peccato, cum hanc agit vitam; jam enim supra respondimus, posse fieri: sed utrum aliquis faciat, hoc nunc quaerimus. Neminem autem esse qui tantum velit, quantum res exigit, ante praecognitum est, sicut Scripturarum, quae supra commemoravi, testimonia tanta declarant. Et tamen cum dicitur cujusque perfectio, qua in re dicatur videndum est. Nam ex Apostolo testimonium paulo ante posui, ubi se fatetur in acceptione justitiae quam desiderat, nondum esse perfectum: et tamen continuo dicit, « Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: » quod utrumque non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset. Velut si jam sit quisquam sapientiae perfectus auditor, quod nondum erant illi quibus dicebat: « Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim potestis, sed nec adhuc quidem potestis<sup>3</sup>: » eis quippe et illud ait: « Sapientiam loquimur inter perfectos<sup>4</sup>: » utique perfectos auditores volens intelligi: potest ergo fieri, sicut dixi, ut jam sit aliquis sapientiae perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus et doctor, potest per-

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 2. — <sup>2</sup> Matth. v, 48. — <sup>3</sup> I Cor. iii, 2. — <sup>4</sup> Id. ii, 6.

fectus esse justitiae cognitor, nondum perfectus effector: potest perfectus esse ut diligat inimicos, qui nondum est perfectus ut sufferat. Et qui perfectus est in eo quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem pervenerit; quaeritur utrum jam sit in ista dilectione perfectus, id est, utrum quos diligit, tantum diligat quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse praescribit. Cum ergo legitur in Scripturis cujusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum est: quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. Quanquam et in hoc possit ita dici, ut non quia jam non est quo proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur: sicut in doctrina legis dici potest quisquam perfectus, etiam si eum aliquid adhuc latet; sicut perfectos dicebat Apostolus, quibus tamen ait: « Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis » Deus revelabit; verumtamen in quod pervenimus, in eo » ambulemus<sup>1</sup>. »

XXIII. Neque negandum est hoc Deum jubere, ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum. Nam nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubetur ut non sit. « Cur ergo » jubet, inquit, quod scit nullum hominum esse facturum? » Hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus jusserit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos? Neque enim dicendum est, ideo jussisse, ut nostrum aliquis id faceret, si illi non facerent: hoc enim, ne de illa scilicet arbore cibum sumerent, non nisi illis solis Deus jussit; quia sicut sciebat quid justitiae facturi non erant, ita etiam sciebat quid justitiae de illis erat ipse facturus. Eo modo ergo jubet omnibus homini-

<sup>1</sup> Philip. iii, 15.



bus ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit præcius neminem hoc impleturum, ut quicumque impie ac damnablem ejus præcepta contempserint, ipse faciat in eorum damnatione quod justum est: quicumque autem in ejus præceptis obedierint et pie proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit implentes, sicut sibi dimitti volunt, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est. Quomodo enim dimittenti dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est? aut quomodo non vetatur per Dei justitiam, si peccatum est?

XXIV. « Sed ecce, inquit, Apostolus dicit: Bonum » certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, » superest mihi corona justitiæ: quod non diceret, si » haberet ullum peccatum<sup>1</sup>. » Imo vero respondeant quomodo potuit hæc dicere, cui adhuc restabat ipsius passionis, quam sibi jam impendere dixerat, tam magna conflictatio, tam molestum ac grande certamen. An ad ejus consummandum cursum parum adhuc deerat, quando illud deerat ubi erat futurus acrior et crudelior inimicus? Quod si ideo talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoria futuri certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eandem passionem jam illi revelaverat imminere; non re plenissima, sed spe firmissima hæc dixit, et quod futurum esse præsumpsit, tanquam factum fuerit indicavit. Si ergo his verbis etiam hoc adderet, ut diceret: Nullum habeo jam peccatum: hoc quoque illum intelligeremus non de rei factæ, sed de rei futuræ perfectione dixisse. Sic enim ad ipsius cursum consummationem pertinebat nullum habere peccatum, quod isti putant, cum hæc diceret, jam in illo fuisse completum; quemadmodum ad ipsius cursum con-

<sup>1</sup> 2 Tim. iv, 7.

summationem pertinebat etiam in certamine passionis adversarium superare, quod etiam ipsi necesse est fateantur, cum hæc diceret, adhuc in illo fuisse complendum: hoc ergo totum nos dicimus tunc fuisse adhuc perficiendum, quando jam de Dei promissione præfidens totum ita dicebat tanquam fuisset effectum. Ad ipsius quippe cursus consummationem pertinebat, etiam quod peccata dimittebat debitoribus suis, atque ita sibi ut dimitteretur orabat: qua Domini pollicitatione certissimus erat, in illo fine, quem adhuc futurum jam fidendo dicebat impletum, nullum se habiturum esse peccatum. Nam, ut alia omittam, miror si cum verba illa dicebat, per quæ istis visus est nullum habuisse peccatum, jam fuerat ab illo ablatum stimulus carnis, de quo a se auferendo Dominum ter rogaverat, responsumque acceperat: « Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur<sup>1</sup>. » Huic tanto viro perficiendo necessarium fuit, ut ab illo angelus Satanæ non auferretur, a quo propterea colaphizabatur, ne magnitudine visionum extolleretur: et audet quisquam, quemquam vel putare vel dicere positum sub onere hujus vitæ ab omni omnino mundum esse peccato?

XXV. Sint licet homines tanta excellentes justitia, ut ad eos de columna nubis loquatur Deus, qualis « Moyses » et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui in » vocant nomen ejus<sup>2</sup>; » cujus magnæ laudes pietatis et innocentiae in Scriptura veridica prædicantur, ab ineunte pueritia, ex quo eum mater votum solvens in Templo Dei constituit, et servum Domino dedicavit: etiam de talibus scriptum est: « Tu propitius eras illis, et vindicans in omnes affectiones eorum<sup>3</sup>. » In filios quippe damnationis vindicat iratus: in filios autem gratiæ vin-

<sup>1</sup> 2 Cor. xii, 9. — <sup>2</sup> Psal. xcviij, 6. — <sup>3</sup> Ibid. 8.



dicat propitius, dum quem diligit corripit, et flagellat omnem filium quem recipit<sup>1</sup>. Nulla autem vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato, excepto illo qui in flagella paratus est, ut experiretur omnia secundum similitudinem sine peccato, ut esset Sanctus Sanctorum sacerdos interpellans etiam pro Sanctis, qui non mendaciter etiam de se quisque dicunt: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus » debitoribus nostris<sup>2</sup>. » Unde et ipsi qui contra hæc disputant, cum sint casta vita, moribusque laudabiles, nec dubitent facere, quod illi diviti pro consequenda vita æterna consilium requirenti, cum se respondisset jam omnia legis implevisse mandata, præcepit Dominus, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ habebat et daret pauperibus<sup>3</sup>, thesaurumque transferret in coelum: nemo tamen eorum audet dicere, se esse sine peccato. Quod, sicut credimus, non fallaci animo dicunt: si autem mentiuntur, eo ipso incipiunt vel augere, vel habere peccatum.

XXVI. Jam ergo quod loco tertio posui videamus. Cum voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt: sed si ex me quaeritur, quare nolunt, imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.

<sup>1</sup> Prov. III, 12. — <sup>2</sup> Matth. VI, 12. — <sup>3</sup> Id. XIX, 20.

Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ; sive contra ipsam suam superbiæm judicandi et erudiendi, si filii sint misericordiæ. Unde Jeremias cum dixisset: « Scio, Domine, quia non » est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos: » continuo subjunxit: « Corripe me, » Domine, verumtamen in iudicio et non in furore tuo<sup>1</sup>. » Tanquam diceret: Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adjavor, ut perfecte dirigantur gressus mei: verumtamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquam in furore quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in iudicio, quo doces tuos non superbire. Unde alibi dicitur: « Et iudicia tua adjuvabunt me<sup>2</sup>. »

XXVII. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam. Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est. Ad hanc convincendam atque auferendam talis medicina coelitus venit: ad elatum hominem per superbiæm, Deus humilis descendit per misericordiam, gratiam claram manifestamque commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis charitate suscepit. Neque enim et ipse ita Verbo Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unus Filius Dei et idem ipse unus Filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe illum esse oportebat: essent autem et duo, et tres, et plures, sic hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipue commendatur, hoc in sapientiæ atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipue docetur et discitur.

<sup>1</sup> Jerem. X, 23. — <sup>2</sup> Psal. CXVII, 175.



Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere<sup>1</sup>, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur, et sciat quam vere non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit: « Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum<sup>2</sup>. » Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, et auctor qualiumcumque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, « Charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, » non per nos, sed « Per Spiritum sanctum qui datus est nobis<sup>3</sup>. »

XXVIII. Sed laborant homines invenire in nostra voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: et quomodo inveniri possit ignoro. Excepto enim quod Apostolus ait, cum de bonis hominum loqueretur: « Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis<sup>4</sup>? » Ipsa etiam ratio, quæ de iis rebus a talibus quales sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.

XXIX. Namque illud Apostoli quod commemoravi, sic defendere quidam voluerunt, ut dicerent: « Ideo quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse, quia et hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset: cum vero ut sit aliquid atque ut

<sup>1</sup> Vide infra cap. 19. et lib. de nat. et grat. c. 27 et 28. et de corrept. et grat. c. 9. — <sup>2</sup> Psal. LXXXIV, 13. — <sup>3</sup> Rom. v, 5. — <sup>4</sup> 1 Cor. iv, 7. — <sup>5</sup> Vide lib. de grat. Chr. c. 47. et de grat. et libero arb. c. 1.

homo sit, non habeat nisi a Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quidquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset, nisi esset in quo esset? » Sed hoc modo etiam illud dici potest, malam quoque voluntatem Deo auctori tribuendam: quia nec ipsa esse posset in homine, nisi homo esset in quo esset; ut autem homo sit, Deus auctor est: ita et ejus malæ voluntatis (9), quæ nisi hominem haberet ubi esset, esse omnino non posset, quod nefas est dicere.

XXX. Quapropter nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus et male uti malus potest; sed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio quemadmodum defendamus quod dictum est: « Quid enim habes quod non accepisti<sup>1</sup>? » Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala; bona vero voluntas ex nobis est: melius est id quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci. Quanquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, et utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo, alioquin nescio, cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum

<sup>1</sup> 1 Cor. iv, 7.



arbitror : « Paratur voluntas a Domino<sup>4</sup>. » Et in Psalmis : « A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus » volet<sup>2</sup>. » Et quod Apostolus ait : « Deus est enim qui » operatur in vobis et velle et operari pro bona vo- » luntate<sup>3</sup>. »

XXXI. Quocirca quoniam quod a Deo nos avertimus, nostrum est, et hæc est voluntas mala; quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, et hæc est voluntas bona : quid habemus quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus? Ac per hoc : « Ut qui gloriatur, in » Domino gloriatur<sup>4</sup>, » quibus hoc Deus donare voluerit, ejus misericordiae est, non meriti illorum : quibus autem noluerit, veritatis est. Justa namque peccatoribus poena debetur, quoniam « Misericordiam et veritatem diligit Do- » minus Deus : et misericordia et veritas occurrerunt sibi : » et universae viae Domini misericordia et veritas<sup>5</sup>. » Et quis explicet, quam crebro hæc duo conjuncta divina Scriptura commemoret? Aliquando etiam mutatis nominibus, ut gratia pro misericordia ponatur : unde est, « Et » vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Pa- » tre, plenum gratia et veritate<sup>6</sup>. » Aliquando pro veritate judicium : sicut est, « Misericordiam et judicium cantabo » tibi, Domine<sup>7</sup>.

XXXII. Quare autem illos velit convertere, illos pro aversione punire : quanquam et in beneficio tribuendo nemo juste reprehendat misericordem, et in vindicta exercenda, nemo juste reprehendat veracem ; sicut in illis evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem<sup>8</sup>, aliis etiam non placitam largientem, nullus juste culpa-

<sup>1</sup> Prov. viii, 35. — <sup>2</sup> Psal. xxxvi, 23. — <sup>3</sup> Philip. ii, 13. — <sup>4</sup> I Cor. i, 31. — <sup>5</sup> Psal. lxxxiii, 12 ; lxxxiv, 11 ; et xxiv, 10. — <sup>6</sup> Joan. i, 14. — <sup>7</sup> Psal. c, 1. — <sup>8</sup> Matth. xx, 9.

verit : consilium tamen occultioris justitiae penes ipsum est. Nos quantum concessum est sapiamus ; et intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justis aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebrae eorum, et suavitatem qua det fructum suum terra eorum.

XXXIII. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat? quia et hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret ; ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret : « ut qui » gloriatur, non in se, sed « In Domino gloriatur. » Extolli quippe in superbiam, propriae voluntatis est hominum, non operis Dei : neque enim ad hoc eos compellit aut adjuvat Deus. Praecedat ergo in voluntate hominis appetitus quidam propriae potestatis, ut fiat inobediens per superbiam. Hic autem appetitus etiam si non esset, nihil molestum esset ; et cum hoc voluit homo, sine difficultate nolisset : secutum est autem ex debita justa poena tale vitium, ut jam molestum esset obedire justitiae. Quod vitium nisi adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur ; nisi operante gratia sanetur, justitiae pace nemo perficitur. Cujus autem gratia vincitur et sanatur, nisi illius cui dicitur : « Convertite nos, Deus san- » tatum nostrarum, et averte iram tuam a nobis<sup>1</sup>? » Quod et si facit, misericordia facit, ut dicatur : « Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis<sup>2</sup>. » Et quibus non facit, judicio non facit. Et quis dicet illi, Quid fecisti, cui miseri-

<sup>1</sup> Psal. l. xiv, 5. — <sup>2</sup> Id. cxi, 10.